

1721. 4

S.S. Ysidoro, y Leandro

sobre

que su Rezo se entienda

AYUNTAMIENTO
DE MURCIA
ARCHIVO

EST.^e 8

TAB.^a I

N.^o 3 (4)

1751

22. *Leidoro, y Leandoro*

2002

que en 1750 se enmendó

VOTVM, ET SENSVS

Eminentissimi, ac Reuerendissimi D. Cardinalis

BELLVGA

Episcopi Carthaginensis

PONENTIS

IN CAUSA

Hispalensis Ecclesiae

Extensionis Officiorum

SS. ISIDORI, ET LEANDRI



ROMÆ, MDCCXXI. 1721

Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

R. 7362

VOTVM, ET SENSVS

Examinatus, ac Revisus, et D. Cardinalis

B E L L V G A

Episcopi Carthaginensis

P O N E N T I S

IN CANON

Hispalenis Ecclesie

Examinatus, et Revisus

ET ISIDORI

ET LEANDRI



ROMÆ, MDCCCLVI

Examinatus, et Revisus, et D. Cardinalis

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.



ENERABILE Capitulum Hispalense SS.D.N. sequentem Libellum porrexit. B. P. Decanus, & Capitulum S. Ecclesie Hispalensis humili obsequio Sanctitati Vestrae exponunt, quod cum Sanctissimorum Praesulum dictae Ecclesiae nempe Leandri, & Isidori veneratio strictis Cancellis circumscribatur, & si satis notum sit S. V. fuisse duo lumina Ecclesiae Catholicae, statuerunt Sanctitati Vestrae preces porrigere, ut Sancti Leandri Festus

dies sub Ritu duplici in omnibus Hispaniarum Regnis; S. Isidori vero sub eodem Ritu duplici in vniuersa Ecclesia Dei: In Hispania vero sub Ritu duplici secundae Classis cum octaua, & Officijs proprijs, alias iam per Sedem Apostolicam approbatis celebretur; pro qua gratia supplicant quoque S. V., nedum Serenissimus Rex Catholicus, Eminentissimus Archiepiscopus Hispalensis, Senatus dictae fidelissimae Ciuitatis, ut constat ex Epistolis, quae dantur S. V., sed & omnes fere Reuerendissimi Episcopi, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium, ac nonnullarum Ciuitatum Regnorum Hispaniae, prout ex eorum Epistolis praesentandis in Sacra Congregatione Rituum apparet; Et praesatam gratiam a Sanctitate Vestra consequi sperant, ex rationibus adductis in supplici Epistola per eosdem Oratores S. V. directa, quae datur annexa; & Deus &c.

Hunc Libellum Sanctitas Sua huic Sacrae Congregationi dignata fuit remittere, a qua mihi commissum est, ut videam, & sensum meum aperiam, & referam.

Quod ut adimpleam, licet ea, quae conducere possunt, & allegari pro hac extensione a V. Capitulo Hispalensi in suis scriptis sint iam exposita; cum illis non obstantibus, Reuerendissimus D. Prosper Lambertinus Promotor Fidei, vtrique praetensioni, ut muneris sui est, se opponat, operae pretium mihi videtur de omnibus relationem facere, ut mentem meam huic Sacrae Congregationi aperire valeam.

§. I.

1 Primae praetensioni extensionis Officij Sancti Isidori, quoad vtramque partem, praedictus Reuerendissimus D. Promotor opponit. Quo ad primam (extensionis ad totam Ecclesiam Officij eius pro Hispania concessi) quod si Officium S. Isidori, quod pro Hi-

A 2

spa-



spania est concessum, extenderetur ad vniuersam Ecclesiam; cum Officium sit Doctoris, ab omni Ecclesia tanquam Doctor celebraretur, cum tamen ab Ecclesia, vt talis celebrari non debeat, quando vti talis ab ea non est declaratus, quod requiri testatur Petrus Annatus *in apparatus ad Theologiam positiuam lib.4. artic.1.*, quem sequitur Rabaud. *in exercitationibus Theologicis tom.2. exercitat.4. cap.9.* Quoad secundam nimirum, quod pro tota Hispania concedatur idem Officium sub Ritu secundæ Classis cum Octaua, obijcit Rubricam 7., quæ videtur hanc prætensionem excludere. Et secundæ prætensionis, nimirum extensionis Officij Sancti Leandri pro tota Hispania sub Ritu duplici adhuc obijcit, quod cum intercessione Sancti Leandri nullum Deus miraculum de nouo patruerit, quod indicet eius voluntatem esse, quod hæc extensio fiat, non est cur veniat faciendâ, nec S. Leander in Officio cum Sancto Isidoro, & si germano fratre æquandus.

- 2 Hæc sunt præcipua fundamenta, quæ hodiè militant contra hanc prætensionem, quibus V. Capitulum satisfacere conatur, vt Eminentijs Vestris satis notum est.
 - 3 Hoc supposito licet ambæ Scripturæ à V. Capitulo Hispalensi traditæ iudicio meo possent sufficere pro inclinando animum huius Sacræ Congregationis ad hanc gratiam concedendam; tamen cum Ciuitas Carthaginensis, meruerit pro filio habere non solum Isidorum, quod pro eius gloria sufficeret, sed & Leandrum, Fulgentium, & Florentinam ex Patre Seueriano ipsius Ciuitatis Domino, & totius Prouinciæ Præfecto, qui omnes Germani Fratres in Martyrologio Romano descripti inueniuntur: Et cum hæc Ciuitas hæud solum sit Capitalis Diœcesis mihi (& si immerito) commissæ, sed & ipsamet Domus, in qua nati, & educati fuerunt, sit propria Episcoporum in illa Ciuitate habitatio, vbi summa cum reuerentia eorum locus natiuitatis Oratorio ibi constructo colitur, & omnibus Incolis magno cum spirituali profectu, & in suis necessitatibus remedio, est summæ venerationi: Et cum non sine speciali Dei prouidentia hoc negotium ab hac Sacra Congregatione mihi fuisse commissum, existimari valeat: Ex hac antidotali obligatione, qua Episcopi Carthaginenses sumus affecti erga tam insignes Sanctos (quorum Fulgentius est totius meæ Diœcesis, tanquam eius Episcopus vnicus Patronus) simul, & deuotione singulari, qua erga eos fruor: Ex his inquam cogor, vrgeor, & dulciter feror, non ad qualemcumque positionem, etiam eam, quæ pro munere meo rectè adimplendo sufficeret, sed ad exponendum huic Sacræ Congregationi quidquid pro tenuitate mea conducere posse existimem pro hoc negotio instruendo, meritisque vtriusque Sancti ostendendis, insuper pro alliciendo (ita fateor) & inclinando animum huius Sac. Congregationis ad has gratias, si iustæ visæ fuerint, assequendas, quandoquidem aliter ingratitude argui à præfatis Sanctis possem.
- Vnde

Vndè coactum me video præter exposita, & allegata à Scribentibus pro prætensione V. Capituli Hispalensis (licet sufficientissima ea existimem) aliqua denuo superaddere, itaque, nonnullis ex allegatis pro parte V. Capituli excerptis; ex omnibus, & si aliquantulum præter morem immorer, sensum meum fundare, & aperire.

4 Tota difficultas huius negocij incipiendo à Sancto Isidoro, extensioneque sui Officij sub Ritu duplici Doctoris, ut in tota Hispania celebratur, in eo sistit, quod ab Ecclesia non est uti Doctor declaratus, itaque ut talis ab ea coli non debet: Vndè satisfacta hac Animadversione tota difficultas de medio sublata iudicio meo erit.

5 Verum est (ut ait Reuerendissimus Promotor) quod Petrus Annatus natione Gallus interrogans; *Quinam sint Doctores Ecclesiæ dicendi* (loco supra citato num. primo ait: *Vt quis Doctor Ecclesiæ dici possit, requiruntur in eo multo plura, videlicet Eminens Doctrina, insignis Vitæ Sanctitas ad mortem usque, & Ecclesiæ declaratio.* Ceterum ultrà progrediens, postea conclusionem statuit, in qua illa verba *Ecclesiæ declaratio* explicat, & modificat. Enim verò suam conclusionem ita concipit: *Dico eos solos propriè Doctores Ecclesiæ dicendos esse, quos ob eminentem Doctrinam, & insignem Vitæ Sanctitatem, ut tales agnouit, siuè recepit, vel declarauit Ecclesia.* Et infra §. *Probatum tertio* ampliùs hoc explicat, dum ait: *Ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem præter eminentem Doctrinam, & insignem Vitæ Sanctitatem requiritur Ecclesiæ declaratio, saltem aliqua tacita, vel expressa.*

6 Et tandem, §. ultimo ita sibi obijcit: *Si ad constituendum E.D. declaratio requiratur Ecclesiæ, sequitur 4. dumtaxat Ecclesiæ Doctores esse, videlicet SS. Gregorium M., August., Ambrosium, & Hieronymum: Hos enim solos, aliorum nulla mentione facta, dignis honoribus venerandos proposuit Bonifacius VIII. in sua Decretali; At qui id dici non potest, cum plures alios, præter quatuor illos veneretur Ecclesiæ Doctores; Ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem non requiritur Ecclesiæ declaratio; Verum obiectioni sic respondet. Dico Bonifacium VIII. ibi nullum de nouo constituere, declarare, aut proponere venerandum Ecclesiæ Doctorem, sed solum statuere, ordinare, & præcipere, ut per uniuersas Orbis Ecclesias 12. Apostolorum, Euangelistarum, & quatuor istorum Ecclesiæ Latinæ Doctorum, Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi Festa solemniter sub duplici celebrentur Officio, istis autem quatuor antiquis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus egregijs, & non alijs hos decreuit honores summus ille Pontifex, quia exteris notiores erant, eorumque Doctrina magis Fidelium omnium usu comprobata; Vndè non idèd soli, sed tantum præcipuè Ecclesiæ Doctores dicendi sunt.*

7 Ex quò hæc duo ex mente huius Authoris deducuntur. Primum, sufficere ad hoc, ut aliquis Sanctus, qui in Doctrina eminens, & vitæ

Sanctitate insignis sit, Doctor Ecclesiae dici valeat, quod Ecclesia ut talem eum agnouerit, siue receperit, approbauerit, vel tacite, vel expresse declarauerit. Secundum, Bonifacium VIII. in sua Decretali non declarasse, in Ecclesia praeter illos quatuor Doctores, nullum alium esse, ut Doctorem in illa habendum, sed illos quatuor, ut praecipuos inter alios Ecclesiae Doctores esse tenendos, ut concludit: *Vnde non deo soli, sed tantum praecipui Ecclesiae Doctores dicendi sunt.*

- 8 Et eodem modo procedit Rabaud. in verbis à Reuerendissimo Domino Promotore allegatis. Etenim eius verba haec sunt: *Ad hoc ut aliquis inter selectos Ecclesiae Doctores possit recenseri, oportet, quod ab eadem Ecclesia, puta, eius Capite visibili, aut à Concilio Generali, ut talis receptus fuerit, & approbatus.* In quibus pari modo, ac Annatus procedit; Namque primò, non exigit expressam declarationem, sed quod *ut talis receptus fuerit, & approbatus.* Secundò, has qualitates solummodò petit ad hoc ut reputari valeat, tanquam vnus ex selectis Ecclesiae Doctoribus, ibi = *Inter selectos Ecclesiae Doctores possit recenseri* = ; quod supponit alios Ecclesiae Doctores minus selectos esse.
- 9 Hoc supposito, cum in praesentiarum non tractetur de gradu Superioritatis S. Isidori, nec curetur de declaratione, & annumeratione inter illos primarios Selectos Ecclesiae Doctores; pro pretensione praesenti sufficit, quod de illo tres illas qualitates habere, verificetur, nimirum *eminentem Doctrinam, insignem vitam Sanctitatem, & quod ut Doctorem agnouit siue recepit approbavit, vel declaravit Ecclesia tacite, vel expresse, ut tanquam Ecclesiae Doctor haberi queat.* Et quod de illo illae tres qualitates verificentur, mihi certum apparet.
- 10 Nam in primis, quod attinet ad eius Doctrinam, & Sanctitatem, adeò in utroque emiuens fuit, quod Sanctus Braulio Archiepiscopus Cæsaraugustanus eius discipulus (quem die 8. Martij colit Ecclesia, ut in Martyrologio Romano habemus) in abbreviatione de eius vita, quae extat apud Papebrochium die 4. Aprilis cap. 11. haec de eo scribit: *Isidorus Vir Egregius (natione Carthaginensis, à Patre Seueriano Nobilissima eiusdem Patriae Duce genitus) Hispalensis Ecclesiae Archipraesul. . . Vir iste beatissimus à Pueritia Studijs Literarum traditur, Latinis, Graecis, & Hebraicis Literis instructus, omnium locutionis genere formatus, in triuij Eruditione conspicuus, in qua triuij instigatione perfectus, Diuinis, & Humanis legibus ad plenum eruditus, suavis eloquio, ingenio praestantissimus, vita quoque, atque Doctrina fuit clarissimus, & merito à cunctis Hispaniarum Doctor nominatus. Sic namque de virtute in virtutem refulsit Doctor eximius, ut secundum qualitatem Sermonis omnibus, videlicet Latinis, Graecis, & Hebraeis Sapientibus, ac minus intelligentibus, in eruditione existeret aptus, atque incomparabili eloquentia strenuus.*

11 Et infra, postquam miris laudibus omnia eius scripta, quæ tantum Ecclesiam illustrarunt, & illustrant retulerat, ait: *Tanta debriatione scientiarum claruit prædictus, ut non solum nostris temporibus, verum etiam à tempore Apostolorum, vel ante (primo homine, & Salomone exceptis) in Scientiarum varietate, ut credimus, nemo extitit illi primus. Et infra: Sicut Gregorius Doctor Romæ successit Petro, ita B. Isidorus in Hispaniarum partibus Doctrina Iacobo successit Apostolo. Semina namque, quæ Beatissimus Iacobus seminauit, hæc Beatissimus Isidorus verbo prædicationis, quasi vnus ex quatuor Paradisi Fluminibus sufficienter irrigauit, atque vniuersam Hispaniam, tam exemplo boni operis, quam fama Sanctitatis, velut Splendidissimus Solis radius illuminauit.*

12 Non minori ponderatione de eius Sanctitate, & Doctrina, loquitur Sanctus Ildephonsus, eius pariter Discipulus, tum libro de Viris illustribus, vbi cap. 9. de Magistro suo agit, tum etiam in Carminibus, quæ Papebrochius tradit cap. 10. eius vitæ, quos affigi Ildephonsus mandauit ad eius Sepulcrum; Ex quibus cum multa sint, vnum, vel alterum decerpam, quæ in hunc modum se habent.

Gloriam Isidori meritorum memori

Voce sonent Cantici

Fidus fidem extulit, fide labem expulit

Erroris hæretici

Natus de Carthagine, nihil ab origine

Puerile Sapiens

Hispani dum præfuit, Primus legem docuit

Hispanus Hispaniam

In Doctrina præmicans, Crucifixum prædicans

Fugans Idolatriam

Per fulgorem operum, Exemplar fructiferum

Se se Clero tribuit

Hesperus Hesperiam, lucifer Ecclesiam

Decorauit clarius

Per fines Hispaniæ fontem Sapientiæ fudit

Mira faciens

Quis ad plenum promere posset, vel præscribere

Te gestorum titulis?

Lingua non sufficeret, dextera deficeret

In scribendis singulis.

13 Sufficerent hæc Testimonia; Sed non omittam aliud singulare, quod tradit laudatus Papebrochius ex antiquis manuscriptis Ecclesiæ Toletanæ, quæ tanti habuit hic insignis vir, quod ad literam ea exprimit; in quibus cap. 1. hoc continetur: *Denique in tantum hunc insigniuit natura, gratia ditauit, extulere mores, studia prouocarunt, ut Platonem ingenio, Aristotelem Studio, Eloquentia Tullium, Copia Calcenterum, eruditione Originem, grauitate Hieronymum, Augusti-*

num Doctrina, Gregorium sanè prosequatur exemplis. Qui cum eadem Beato Gregorio, iussu Fratris, ac Nutricij sui Leanari, epistolam quamdam de Beatitudine, tam de Philosophorum Sententijs, quam Sanctarum Scripturarum floribus, miro studio decoratam, delegasset, ac B. Gregorius perlegisset eandem; tam de Sermonum disertudine, quam de Sententiarum connexionem, ac Scientiarum exuberatione admirans, eumque in Spiritu qualis futurus erat, intuens, fertur dixisse: *Ecce alter Daniel, & quidam alius, Ecce plusquam Salomon hęc.*

- 14 Mitto innumera alia Testimonia, quæ ex omni genere Scriptorum, tum antiquorum, tum modernorum omnium Nationum Isidori Sanctitatem, & sapientiam, usque ad Sydera extollunt. Sed non prætermittam ea, quæ ipsamet Ecclesia in lectionibus sui officij (quæ in *Sum. sub Num. 1.*, se habent) circa utramque qualitatem Nobis in comprobationem offert. *Ingentem (ait) Doctrinam, latinè, græcè, atque hebraicè, cum magna nominis claritate consequutus: Hic Adolescens adhuc, Heresim Arianam, quæ Gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem pænè jampridem inuaserat, tam constantè palàm arguebat, ut propè fuerit, ut ab Arianis necaretur, ut in prima lectione. Quantum verò Pontifex factus fuerit constans, & humilis, patiens, & benignus, compatiens miseris, & Pauperibus, & cunctis virtutibus insignitus, nullius lingua sufficeret ad narrandum. Scripsit librum Etymologiarum, & Sacri Canonis, Libros plurimos comentatus est, & tot, tantaque alia volumina scripsit, ut humana vix vita Sanctis suffectura laboribus videatur: ut in secunda Fuit denique Isidori tanta Doctrinæ, ac Sanctitatis opinio, ut coacto Concilio ultrò fuerit à Pontifice maximo vocatus, ubi mirum est quantum ponderis, & auctoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & omnes Prælatos: ut in tertia.*

§. II.

- 15 Quod attinet ad tertiam qualitatem Doctores, quamquam ex huc usque dictis satis demonstrata videatur, quia tamen solum desiderare debemus, quod, ut talis Doctor Ecclesiæ sit ab ipsâ Ecclesiâ, vel agnitus, vel receptus, vel approbatus, vel tacitè, vel expressè declaratus, totum id iudicio meo verificatum inuenitur in *Can. de libellis 20. dist.*, à Capitulo allegato. Vbi S. Leo IV. Isidorum inter Ecclesiæ Doctores adnumerat in illis verbis: *Nam si tale emerferit, vel contigerit inusitatum negocium, quod minimè possit per istos (Canones videlicet) definiri, tunc illorum, quorum meministis, dicta Hieronimi, Augustini, Isidori, vel cæterorū similiter SS. Doctores, & similia si reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, vel promulganda.*
- 16 Vbi habemus Sanctum Isidorum inter Ecclesiæ Doctores à Sancto Leone fuisse adscriptum: Etenim cum ad hoc ex Doctrina *Annati, & Rabaud.* sufficeret, si vnum saltem ex requisitis

Et in cap. Ius dictum, de verborum significatione, quæ omnia desumpta sunt ad literam ex Sancto Isidoro, ut ex ipsorum Epigraphe patet.

35 Deinde habemus, quod in Concilio Toletano VIII. celebrato 17. annis post Isidori dormitionem, ubi 52. Episcopi assiderunt, quos inter S. Idelphonsus, cum in eo Patres cap. 2. in comprobationem vnius Decreti attulissent ~~varia~~ Sacræ Scripturæ Testimonia, & authoritates Ambrosij, Augustini, & Magni Gregorij; afferendo Testimonium Isidori, in hoc præconium illum ad Cælum eleuantes proruperunt. *Nostri quoque Sæculi Doctor Egregius Ecclesiæ Catholicæ nouissimum Decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, & quod maius est, in Sæculorum sine doctissimus, atque cum reuerentia nominandus Isidorus, in Libro Sententiarum secundo, hæc pro tali narrat negotio. Et recitato Testimonio, postea prosequuntur. Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incaute vouisti non facies, impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Et concludunt: Hæc de Sacris paginis, authoribusque præcipuis breuissimè sufficiat prælibasse. Vbi post tot præconia, inter præcipuos Ecclesiæ Patres, & Ecclesiæ Doctores, Isidorum (& quidem recenti adhuc obitu eius) collocant, & tot magnificis titulis honorant.*

36 Habemus S. Braulionem eius Discipulum in supra laudata abbreviatione apud Papebrochium cap. 11. qui non solum Doctorem, eximium eum appellat, ibi -- *Sic namque de virtute in virtutem proficiens refulsit Doctor eximius &c.* Sed etiam Magno Gregorio hac singulari ponderatione equiparat, ibi -- *sicut Gregorius Doctor Romæ successit Petro, ita Beatus Isidorus in Hispaniarum partibus doctrina Iacobo successit Apostolo.*

37 Habemus S. Idelphonsum, qui post Isidori mortem ad eius Sepulcrum, ubi, & S. Leander iacebat, in Cruce argentea eorum gesta depingi fecit, & carminibus iam afferendis deuotissimè proclamari, ut tradit ex laudatis manuscriptis Toletanis Papebrochius cap. 10. eius vitæ, ibi = *Beatus Idelphonsus, Archipræsul Toletanus, inclitæ Sanctitatis, qui de pectore Magistri Doctrinæ latices hauserat purissimos ad Magistri decorem in parte Ecclesiæ, qua Sancti Doctores (Isidorus, & Alexander) quiescebant, eorum gesta miro fecit opere depingi, & in Cruce argentea, quæ Sanctorum superiacebat monumentis hoc carmen significauit. In quibus carminibus eum Doctorem Ecclesiæ appellat, ut in sequentibus ex decerptis patebit.*

Orthodoxus Arium, Dirum Aduersarium

Rationis calculo

Confundit hic Malleus; cessit hostis felleus

Victus in propatulo

Iberi deuotio Cleri, pleno gaudio

Colat

Colat Patrem Patriæ

Contemplando Dogmata Cosmi laudent Climita

Doctorem Ecclesiæ.

- 38 Habemus Lucam Tudensem qui *aduersus Albingenses lib. 2. cap. 4.* hæc de S. Isidoro ait. *Quamuis hæc duo magna Cæli luminaria (Gregorius, & Isidorus) essent spatijs Terrarum seiuncti, tamen in unitate Sancti Spiritus adunati, eadem utrumque sententia redolebat, ut in ore Sanctissimorum duorum Testium veritatis testimonia firmarentur. Fateamur ergo eorum scripturas per Sanctum Spiritum concordas, ut dictum est, & non ex suffragijs mendicatis tam insignes Ecclesiæ Dei Philosophos concordare.*
- 39 Habemus Redemptum S. Isidori Archidiaconum, & Discip. (de quo obitum sui Patris, & Magistri scripsisse, Papebrochius S. 2. suæ vitæ ait,) & *cap. 10.* eius obitus de eo hoc singulare elogium tradit: *Sed perfectissimi viri quid miracula notem, quid virtute magnificem, quid scientiam prædicem, quid Doctrinam commendem, quid mores extollam? nam in Apostolico viro, imò post Apostolos Christi Apostolo, virtutum consonantiam quid quæras? cum in eo prudentiam Noe, fortitudinem Abrahamæ, temperantiam Isaac, iustitiam Iacob, patientiam Iob evidenti ratione conspicias. Quid doctrinæ præferas gratiam? in quo Doctoris gentium veritatem exuberare, disciplinam Spiritu feruere, zelum, scientiam abundare reperies. Quæ maior laus de Isidoro, quam hæc cum Doctore Gentium comparatio, dici valet.*
- 40 Habemus quod apud nationem Gallicam tanti habentur opera S. Isidori, quod ultra testimonium allegatum S. Prudentii, in quo Isidorum Sancto Gregorio Magno æquat, & de eius scriptis ait, quod *num. 17.* exprimitur, in Concilio Aquisgranense celebrato anno 816. sub Ludouico Pio, tot testimonia Sancti Isidori inserta fuerunt, quod magna ex parte ex eis conflari videatur, ut ex ipso met apparet: & in alijs pluribus celebratis tempore Caroli Magni, & eiusdem Ludouici inuenitur etiam pluries laudatum. Nec his temporibus ea summa Gallorum laus illi deest, ut apparet in supra laudato Petro Annato, qui eodem *lib. 4. art. 2.* inquirens. *Qui sint Ecclesiæ Patres dicendi?* referens *artic. 39.* Sanctum Isidorum ita de eo loquitur: *Sanctus Isidorus Hispaniensis Ecclesiæ Sydus Doctor, & Decus &c.*
- 41 Tandem alia quamplurima (omittendo testimonia, quæ ex Scripto-ribus Hispanis antiquis, & modernis possent afferri) habemus Testimonium illud, quod ponderationes omnium excedit, nimirum Magni Gregorij, qui de Isidoro hæc verba protulit: *Ecce alter Daniel, ecce plusquam Salomon hic, ut supra n. 13.* Et quod tanti eius Doctrinam, & Sanctitatem haberet, quod ad hanc Almam Urbem eum vocauerit, ut Concilio Romæ celebrando assideret, ut ex eius lectionibus supra vidimus *num. 14.* vbi, & legimus quanti habita fuerit in illo Concilio eius sententia ibi = *Mirum est, quantum pon-*

ponderis, & authoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & eius Prælatos: Vt in 3. lectione.

42 Quam Historiam præcitata manuscripta à Papebrochio laudata cap. 5. ita accidisse enarrant: Denique quæ Ciuitas, quæ solitudo, quæ MarKa, quæ huius Doctõris non senserit beneficia? Peragrans itaque Dei Seruus Fidelium mentes Verbi Dei pabulo reficiendo, Pauperes Christi in eleemosynis recreando, hæreticorum Dogmata sollicitè persequendo in vniuersis Hispaniarum Prouincijs ad inclitam peruenit Romanam Urbem, Summo Pontifice id humiliter postulante, qui quanto honore, & reuerentia à Romano Antistite, & Cardinalibus fuerit receptus, non est nostræ dissere valitudinis, sed ex officijs, & dilectionis obtemperantijs erga eum exhibitis, per facile lector conijcere potest. Onere namque totius Curie sibi imposito omnes se, ei quasi Patri pio, salua Apostolica Excellentia, offerebant benignè, vt etiam si liberet, genere nobilissimi famulorum vices supplerent, & humilitate, qua poterant, ministrarent; dignum ducentes prudentissimi viri, vt quia pro fide Catholica, & Ecclesie Romanæ honore ipsum despectis tormentis Principum, morti exposuerat, & multis scripturarum sententijs Matrem Ecclesiarum omnium comprobauerat, ab eisdem Romanis condigno veneraretur honore. Placuit etiam tunc, vt Ecclesie Prælati ad Sanctam Synodum conuenirent, vt si quid inhonestum reperiretur, aut ambiguum, cum eodem Sanctissimo corrigeretur Isidoro; quem summo desiderio in Romana Curia ad sui decorem detinuisent, nisi in Ecclesie detrimento ipso insinuante, hoc cessurum agnoscerent. Dimissa itaque Synodo, quidquid voluit in Romana Curia ordinauit, & omnibus affectis mærore dimissis, cum maximo honore, & Apostolicis muneribus, in Hispaniam regressus est.

43 Et in Prologo huius vitæ, hæc etiam relatiuè ad hunc casum continentur: Gregorium re vera in Beatissimi Apostolorum Principis: loci simul, & meriti, principatu vniuersi Orbis præfecit auctoritas; Isidorum autem Romanæ censura Curie alterum profiteri Gregorium, meritorum efficit paritas. Et quidem singula, quæ non tantum cursu naturæ, verum etiam ea, quæ diuina prouidentia miraculosa senescenti mundo, per eum mirabiliter ad illuminationem Ecclesie dignata est operari &c. Cui Historiæ omninò consentit Papebrochius in notis ad hoc caput 5. litt. D., & etiã eam confirmat Antonius Cafalis Cælestinus Author Bononiensis in descriptione Basilicæ illius Ciuitatis, qui pagina 370., postquam multa dixerat de Isidoro, ait, quod cum S. Doctõr rediret è Roma, Bononiam petens, ibi graui infirmitate detentus, obiit in Domino. In quo licet omninò erret, cum S. Doctõr Hispali obiisset, tamen Historiam confirmat. Et pariter licet sub eadem fallentia, eam confirmant Carolus Sigonius Leander Albertus, Donatus Pullienus, Cherubinus Chirardacius, Celsus Faloneus, Antonius Masinus, & alij Itali, quos omnes quoad hanc circumstantiam mortis refutat laudatus Papebrochius initio huius vitæ §. 2.

- 44 Ex quibus omnibus apparet, concessionem Officij Doctoris cum Credo pro S. Isidoro à Romano Pontifice Gregorio XIII. factam pro totà Hispanià, & pro Insulis Regi Catholico subiectis, & pro totà Americà (*vt supra num. 30.*) non eo fuisse, quia vti Hispaniarum Doctorem cum tantummodò habebat, sed quia inter Ecclesiæ Doctores collocatum eum reputabat, vt Ecclesia semper eum, vt constat ex hucusque dictis, reputauit: Quin Iudicio meo dubitari valeat, quod sicut pro Hispanià (vbi de S. Isidoro recitabatur) hoc Officium concessit, & approbavit, etiam pro totà Ecclesià, si de eo in eà recitaretur, idem Officium concessisset, & approbasset: quandoquidem motu proprio ad nullius supplicationem illud concessit, vt ex eius literà apparet. Vndè si Serenissimus Rex Catholicus petisset à Sanctà Sede, vt Officium ad totam Ecclesiam extenderetur procul dubio fuisset ab ipso met Gregorio concessum. Cum ergo supplicatio Regis Catholici ad hoc non se extendisset; imò nec ad Officium Doctoris pro Hispanià, nec pro ~~Dominijs~~ Dominijs, sed tantummodò fuisset facta ratione difficultatum, quæ occasione Missalis, & Breuiarij editi à S. Pio V. ortæ in illo Regno fuerunt, (vt patet ex ipso motu proprio, vbi relatio de supplicatione fit); nihil mirum, quod concessio, & approbatio solummodo Hispaniam respexisset.
- 45 Vndè, cum hodiè Serenissimus Rex Catholicus coadiuuando prætensionē R. D. Archiepiscopi Hispalensis, & eius V. Capituli, & Senatus illius Ciuitatis, ac Capitulorum omnium Ecclesiarum Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Senatuum, & nonnullorum adhuc Prælatorum à Sanctissimo D. Nostro enixè efflagitet pro hac gratià, extensionis Officij Sancti Isidori pro Hispania concessi ad totam Ecclesiam, exemplo tot similium gratiarum præteritis annis pro alijs quamplurimis Sanctis non denegatarum: Et cū non aliud Caput huic extensioni obijciatur à Reuerendissimo Promotore Fidei, nisi, quod pro Doctore Ecclesiæ non est habitus; satisfactà hac animaduersione, vt plenissimè satisfactam manere credimus: Iudicio meo, independenter ab speciali obligatione, quæ tot iustis titulis me inclinare poterat, ob supra initio dicta, non apparet ratio, vt hæc extensio denegari valeat.
- 46 Itaque quoad eam sensus meus est S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem mereri, quod S. Congregatio supplicationi annuat, & Officium DD. illi pro Hispanià concessum sub ritu duplici, sub eodem ad totam Ecclesià extendi posse declaret. Quandoquidem Ecclesiasticus ad hoc nos excitat *cap. 44. vers. 1.* dicens. *Laudemus viros Gloriosos &c. & infra V. 15. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.*
- 47 Quoad secundam verò prætensionem, nimirum, quod in Hispanià cele-

celebretur sub ritu secundæ Classis, cum Octauâ aliter ex parte sentio: Nam cum duas gratias hæc petitio contineat, quarum vna est, quod in Hispaniæ Regnis celebretur Officium S. Isidori sub ritu secundæ Classis; altera, quod celebretur cum Octauâ. Quod attinet ad hanc secundam denegari mihi posse videtur, ob rationes à Reuerendissimo Promotore allatas. Quod attinet ad primam nullam difficultatem inuenio, vt concedi valeat, Itaque sentio, hanc Sacram Congregationem annuere posse, vt *Officium Sancti Isidori in Hispaniarum Regnis sub ritu secundæ Classis celebrari queat.*

48 Quas duas concessionem multum iuuare debet, & inclinare animum huius S. Cong., quod Sanctus Isidorus non solum Ecclesiam suis scriptis illustrauit, nec solum in hæresi Ariana pænitus ab Hispaniâ eliminandâ ab adolescentiâ laborauit (vt in suis lectionibus habemus) nec solum in Doctrinâ Mysterij Beatissimæ Trinitatis in illis Regnis firmandâ, & in Acephalorum hæresi suo tempore ortâ extinguendâ (vt habemus in Concilio IV. Toletano, & in Secundo Hispalensi) sed etiam totam Hispaniâ, cunctamq; Ecclesiam edocuit de infallibili Romanorum Pontificum Authoritate, deque obedientiâ eorû decretis debitâ, vti apparet in Epistolâ eius indubitata, quæ inter alias traditur *Cap. 7.* à Papebrachia scripta S. Eugenio Archiepiscopo Toletano, vbi illi sic ait: *Quod verò de paritate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit, tu vocaberis Cephas, tu es Petrus &c. Et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesiâ primus suscepit: Cui etiam post resurrectionem filij Dei ab eodem dictum est, Pafce Agnos meos; Agnorum nomine Ecclesiarum, Prælatos notans, cuius Dignitas potestatis, & si ad omnes Catholicos Episcopos est transfusa; specialius tamen Romano Antistiti singulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerentem obedientiam, à capite seiunctus, Acephalorum Schismati se reddit obnoxium; sicut illud S. Athanasij de fide Sanctæ Trinitatis Sancta Ecclesia approbat, & custodit quasi fidei Catholicæ articulum, quod nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.*

49 Et ad vtramq; concessionem multum iuuare debet, & inclinare animum huius S. Cong., quod Sanctus Isidorus non solum Ecclesiam suis scriptis illustrauit, nec solum in hæresi Ariana pænitus ab Hispaniâ eliminandâ ab adolescentiâ laborauit (vt in suis lectionibus habemus) nec solum in Doctrinâ Mysterij Beatissimæ Trinitatis in illis Regnis firmandâ, & in Acephalorum hæresi suo tempore ortâ extinguendâ (vt habemus in Concilio IV. Toletano, & in Secundo Hispalensi) sed etiam totam Hispaniâ, cunctamq; Ecclesiam edocuit de infallibili Romanorum Pontificum Authoritate, deque obedientiâ eorû decretis debitâ, vti apparet in Epistolâ eius indubitata, quæ inter alias traditur *Cap. 7.* à Papebrachia scripta S. Eugenio Archiepiscopo Toletano, vbi illi sic ait: *Quod verò de paritate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit, tu vocaberis Cephas, tu es Petrus &c. Et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesiâ primus suscepit: Cui etiam post resurrectionem filij Dei ab eodem dictum est, Pafce Agnos meos; Agnorum nomine Ecclesiarum, Prælatos notans, cuius Dignitas potestatis, & si ad omnes Catholicos Episcopos est transfusa; specialius tamen Romano Antistiti singulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerentem obedientiam, à capite seiunctus, Acephalorum Schismati se reddit obnoxium; sicut illud S. Athanasij de fide Sanctæ Trinitatis Sancta Ecclesia approbat, & custodit quasi fidei Catholicæ articulum, quod nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.*

50 Quod idem testatus est S. Braulio eius Discipulus, qui in laudatâ suâ abbreviatione ait: *spurcitiâ Ariane hæresis à totâ Hispaniâ gladiis verbi Dei persequendo eliminauit; malignam Acephalitarum hæresim confudit, ac destruxit; Gregorio namque præfate hæresis Antistiti superato, & Sanctorum Testimoniis, scripturarumque authoritate conuictô, docuit duas in Christo esse naturas, Diuinam scilicet, & hu-*

manam; Et infra: Quo verò flumine eloquentiæ, & quibus iaculis diuinarum scripturarum, seu Patrum Testimoniis omnium nefarias hæreses destruxerit, & euauerit, Synodalia gesta coram eo Hispali, & Toleti acta declarant, in quibus, & Romano Pontifici à fidelibus loco Beati Petri Apostoli substituto, debere obediri, & uni Deo in Trinitate Personarum seruii clarissimis scripturarum Testimoniis approbavit. Quæ omnia etiam in prælaudatis manuscriptis inueniuntur contestata, & à Papebrochio approbata, & in Concilio Toletano quarto benè notata.

- 51 Cum ergo in Cap. 6. huius celeberrimi Concilij dubium excitaretur de Baptismo, si per vnã, vel trinã immersionem fieri deberet, in hæc Isidorus prorupit: *Quid à nobis in hac Sacramenti diuersitate finiendum sit Apostolicæ Sedis informemur præceptis; non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes Italiæ illustrauit, sed & longè existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante Sanctissimo Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diuersitate. Quid potius esset exequendum inter cætera rescribens ei, sic ait & c. Et similiter Cap. 17. definitum fuit librum Apocalypsis, vt Canonicum esse recipiendum, quia à Sancta Sede declaratum fuerat, Ioannem Euangelistam eius Auctorem fuisse.*

S. V.

- 52 Quod attinet ad prætensionem extensionis Officij Sancti Leandri pro tota Hispaniã sub ritu duplici, sunt tam efficaces rationes, quæ allegantur pro parte V. Capituli, quod nihil occurrit addendum, quod vrgere plus valeat. Quandoquidem illud solum Testimonium Sancti Isidori fratris sui in libro de Scripturis Ecclesiasticis cap. 28. in quo de illo loquens, ait: *Cuius fide, ac Industria factum est, vt Populi Gentis Gothorum ab Arriana insania ad fidem Catholicam reuerterentur, quod & testantur eius Lectiones, & Martyrologium Romanum 3. Kal. Martij ibi = Hispali in Hispania, Natalis S. Leandri eiusdem Ciuitatis Episcopi, cuius prædicatione, & industria Visigotorum Gens adiuuante Recaredo eorum Rege, ab Arriana impietate ad Catholicam fidem conuersa est.* Hoc, inquam, solum testimonium, hocque solum beneficium, quod miseratione Diuina tota Hispania Leandro confitetur, quodque tam firmiter retinet, non solum eam cogit, & vrget ad hanc extensionem, efflagitandam, sed, & hanc Sacram Congregationem premit pro ea concedenda pro omnibus Hispaniarum Ecclesijs, vt ita ob omnibus Populis Hispanis ille honoretur à quo meruerant, quod Gentes Gothorum eos Dominantes à peste Ariana, quæ totum Regnum infestabat, liberi euaserint.

- 53 Cum ergo hodie Serenus Rex Catholicus similiter coadiuuando prætensionem R. D. Archiepiscopi Hispalensis, & eius V. Capituli (hanc causam

causam efficacissimè promouentis) & Senatus ipsius Ciuitatis, ac Capitulum omnium Ecclesiarum Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Senatum; & nonnullorum adhuc Prælatorum, non minus enixè pro hac gratia efflagitent, ac pro præcedenti: Et cum non aliud à Reuerendissimo Promotore Fidei pro denegatione illius obijciatur, quam, quod nullum nouum miraculum ostenditur à Deo intercessione B. Leandri patratum esse: Et cū pro similibus concessionibus necessarium hoc minimè existimetur, quandoquidem aliæ multæ similes extensiones concessæ absque hac circumstantia inueniuntur: Ex his omnibus; & ob eam summam Venerationem, & laudem, quam adhuc in humanis agens, meruit ab hac Sancta Sede, & Magno Sancto Gregorio Ecclesiæ Clauum tenente (de quo multa in allegatis pro hac gratia) mihi eam concedendam venire pariter videtur.

54 Itaque sensus meus est, quod Officium à Sancta Sede pro S. Leandro approbatum, & Ecclesiæ Hispalensi concessum sub ritu duplici ad totam Hispaniam, Regisq; Catholici Dominia extēdatur. Præsens habens, quod idem Ecclesiasticus; postquam dixerat cap. 44. laudemus viros Gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. V. 7. addit: Omnes isti in generationibus Gentis suæ gloriam adepti sunt; & in diebus suis habentur in laudibus: Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Omnia tamen Superiori huius Sacræ Congregationis Iudicio subijciendo. Datum Romæ die 8. Decembris 1721




VARIOS

VL. 3°


AYUNTAMIENTO
DE MURCIA
ARCHIVO

EST.º 8

TAB.ª I

N.º 3 (1-19)